

4. Executorie.

Lud[ovicus] *etc.* honorabilibus . . (viris)¹ *vel* religiosis personis *aut* venerabili episcopo . . *etc.* devo . . (nobilibus — spectabilibus — strennuis — fidelibus). Quia preces nostras primarias, que iuris et approbate consuetudinis tramite fulciuntur, . . honorabilibus viris preposito, decano et capitulo *talis* ecclesie et dyocesis pro honesto viro — *vel* religioso² — *tali* clerico nostro dilecto, ut ipsum in suum recipiant canonicum et confratrem, duximus porrigendas, quas, qua moti temeritate nescimus, admittere non curaverunt, nos vero ius nostrum et imperii nolentes³ negligere in hac parte fidelitati vestre — *vel* tue — iniungimus et mandamus, quatenus predictos *tales* tuis — *vel* vestris — perswasivis monicionibus inducas — *vel* inducatis —, ut easdem preces nostras adhuc admittere studeant cum effectu predictum *talem* in suum canonicum et confratrem assumendo sibique de prebenda, si qua ad presens in dicta eorum vacat ecclesia vel quam primum vacare ceperit, adeo liberaliter provisuri —. Et si forte in recepcione seu provisione huiusmodi rebelles fuerint, ipsos ad hoc nostro nomine, modis et viis quibus poteris, arceas et compellas — *vel* ipsos ad hoc modis et viis arceatis, etiam per subtractionem bonorum suorum ac nostro nomine compellatis. Datum *etc.*

1) Das eingeklammerte übergeschrieben. 2) 'v. r.' am Rande nachgetragen. 3) Der Satz fällt aus der Construction. Entweder war 'vero' zu streichen oder 'nolumus' zu setzen.